

oblongam tendentia. *Pedunculi* subnulli vel brevissimi, inferne subfasciculati, in superiore ramulorum parte etiam solitarii. *Petala* intus glabra, *exteriora* dorso subcarinata. —  $\beta$  *lanceolata*, foliis omnibus lanceolatis acuminatis, v. c. 13 poll. longis, habitu valde recedens. — *Iava, Sumatra*. — E *Borneo* suppetit specimen sterile foliis obovato-oblongis abrupte acuminatis multo crassioribus diversum, nisi conspecificum, certe valde affine.

### POPOWIA ENDL.

Genus praesertim *petalis interioribus* basi lata sessilibus, *aestivatione* apicibus inflexis valvatis, navicularibus, *carpellisque* ni fallor omnium specierum basi uniovulatis distinctum, *staminum* numero diminuto etiam insignitum, *organis sterilibus* in flore unius speciei a me observatis *Anaxogoreae* accedit.

1. **POPOWIA AFFINIS** MIQ. *n. sp.* Ramuli petioli folia supra in costa, subtus in hac costulisque dense adpresse ferrugineo-hirsutula; folia brevissime petiolata, e basi inaequalta submarginata elliptico-oblonga acuminata vel apiculata, supra sparse secus marginem densius adpressiuscule pubescentia, subtus costulis utrinque 8—6 patule erectis prominentibus aveniis pertensa; pedunculi plerumque oppositifolii breves simplices vel vulgo e basi paucibracteata ramulosi cum sepalis extus dense rufo-hirsuti; sepala lato-ovata acuta; petala exteriora iis paullo longiora subconformia sed obtusa ferrugineo-albida, interiora dense albo-villosa; stamina 18—20?; carpella pauca niveo-hirsuta.

*P. pisocarpae* foliis accedit, sed huius indumentum magis griseum, folia tenuiora, magis ovato-oblonga, basi adhuc minus emarginella, petala interiora griseo-villosa. *P. rufulae* etiam similis, sed folia in nostra angustiora, minor, basi inaequalia, flores quidpiam maiores nec in iis reperi corpora illa sterilia, stamina vero numerosiora. *Innovationes* dense rufo-hirsuto-tomentosae. *Petioli*  $\frac{1}{2}$ - vix 1 lin. longi. *Folia* exsiccata supra nigrescenti-fusca ipsa demum glaberrima, nervis leviter sulcata, subtus costulis perspicue adscendentibus ut plurimum utrinque circiter senis in margine delitescens pertensa, in parenchymate nunc fuscescens vel subgriseo opaco avenia glaberrima, pleraque elliptico-oblonga, alia elliptica vel obovalia, nunc acumine perspicuo acutoque nunc abbreviato obsolete terminata, passim acuta, 5—4—1 $\frac{1}{2}$  poll. longa, 2—1 $\frac{1}{2}$ —1, vulgo 1 $\frac{1}{3}$  lata. *Pedunculi* circiter in medio *bracteola* parva rufo-villosa ovata muniti, 2—1 lin. longi, basi paucis *bracteis* instructi e quibus serius et pedunculi evolvuntur, uniflori, hinc etiam gemini et terni, rarius e pedunculo communi *pedicelli* pauci uniflori exoriuntur. *Flores* ut in omnibus subglobosi, grano piperis albi minores. *Sepala* lato-ovata acutiuscula post anthesin autem obtusiora, extus dense rufo-villosa, diutius persistentia. *Petala exteriora* convexo-concava lato-ovata, extus albido-deorsum magis ferrugineo-villosa, in alabastris acutiuscula atque indumento rufescentia. *Interiora* lato-ovalia, sub basi vix perspicue angustiora, naviculari-concava cum apiculo inflexo (breviore quam in *P. rufula*), extus apice intusque praeter basin marginibusque albo-hirsutissima, anthesi peracta paullo diutius persistentia, navicularia, basique haud dubie in unguem brevem lato-planiusculum coarctata, caeterum elliptica concava, apiculo inflexo nunc evanido. *Stamina* circiter 18—20? brevissime subfilamentata, *antheris* lato-cuneatis compressiusculis, connectivi vertice transverse angusto concaviusculo. *Carpella* 5, anguste ovoidea, albo-hirsutula. — *Sumatra occidentalis*: KORTHALS.

2. **POPOWIA RUFULA** MIQ. *n. sp.* Ramuli novelli cum petiolis foliisque subtus in costis rufo-tomentelli; folia brevi-petiolata, e basi inaequalta submarginella obovata vel oblongiora (haud raro subabrupte) obtuso-acuminata vel apiculata, adultiora supra praeter costam glabra, subtus costulis utrinque 6—7 erectiusculis vel subpatulis aveniis; flores brevi-pedunculati; sepala lato-ovata acuta extus rufo-hirsutula, intus glabra; petala exteriora sepalis minora ovalia villosula, interiora crassa ovalia apice inflexa, extus dense albo-hirsuto-villosa; stamina 12; carpella fertilia 6 oblongo-ovoidea, tomentella; carpella? sterilia 10 vel 12 teretia fertilibus circumposita.

Species antecedente habitu consimilis, sed *organis in flore sterilibus*, iis in *Anaxogorea* observatis quodammodo aequiparandis singularis. *Frutex* 20-pedalis. *Innovationes* rufo-hirsutae. *Ramuli* tenues patentim tomentelli. *Petioli* 1—1 $\frac{1}{2}$  lin. longi. *Folia* iuniora supra etiam satis pubescentia, praeter costam glabrata, e basi vix omnino aequali obverse elliptica vel subobovata, 5—3—1 $\frac{1}{2}$  poll. longa, 2 $\frac{3}{4}$ - vulgo 1 $\frac{1}{2}$ — $\frac{3}{4}$  lata. *Pedunculi* axillares et laterales, vel suboppositifolii, 2 lin. circiter longi, uni- vel apice pauciflori. *Florum* exilium examen difficile. *Petala interiora* sub anthesi erecto-patula, crassa, lata basi inserta, naviculari-concava, extus tota intusque ad apicem inflexum et margines subinflexos albo-hirsutissima, extus ex externis rufule pilosis impressione notata, intus deorsum glabra, aestivatione valvata, apicibus acutis inflexis. *Stamina* brevia cuneiformia, connectivi vertice rhombeo-truncato, dorso bilocellata, ni fallor 12 numeravi. *Carpella? sterilia* tori pilosi basi inserta teretia, uno latere albido-pilosula, caeterum glabra, in sicco nigra, cava sed exovulata, genuino gynoeceo circumposita. *Carpella genuina* arcte conniventia, *stylis* fere in communem prominentem compictis, 6? vel pauciora, uniovulata,



UVARIA FLAVA TSM. & BK.